



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Reverendissimi Ac Illustrissimi Domini Domini Francisci  
Fenelonii Archi-Episcopi Cameracensis, Et Quondam Ab  
Humanioribus Litteris Serenissimi Ducis Burgundici  
Telemachus**

**Fénelon, François de Salignac de La Mothe**

**Francofurti, 1744**

**VD18 11007532**

Lib. XVIII. Argumentum. Telemachi descensus ad Inferos quærendi  
genitoris causa. Supplicia malorum hominum, præcipuè regum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69283](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69283)

difficillimos belli labores unquam averfabatur. Somnum modicum capiebat, incisum aut inter-ventu diurnis nocturnisque horis singulis referentium, quæ videbantur opus; aut accuratissima inspectione stationum, quarum nullam duabus continuis vicibus eadem obibat horâ, ut de improvise occuparentur, qui indormirent stationibus. Fermè è castris sudore ac pulvere redibat offusus. Cibi erat minimè exquisiti. Ne sobrietatis & patientiæ exemplum desiderarent gregarii, victitabat eorum ex more. Cùmque laboraret commeatu exercitus, ad inhibendas querelas militum eandem inopiam sibi duxit subeundam. Hi verò labores tantum abest, ut corpus eius debiliarent, ut quotidiano roboris incremento firmatum sensim ad illos occalluerit. Expirabat pedetentim in eo delicata illa gratia, quam natura annorum initiis amat impertiri. Innoxiam formæ licentiam, adhuc diffusam vultu, castigare ceperant tenuiores umbræ, & commasculare frontem. Expulsâque adolescentis ætatis mollitudine artus virilis sensim vigor intrabat.

## TELEMACHUS.

### LIBER XVIII.

**A** Draustus cum attenuatis præliò copiis post Aulonem montem recesserat, auxilia opperiens, quibuscum in hostem alteris insidiis erumperet. Non impar ergo leoni erat, qui frustrata fame reiectus ab ovili, revertitur in nemora: redditusque, quibus assuevit, latebris, dentes atque ungues exacuit, instrumenta futuræ gregum, tempus sinat, internecioni. At

At Telemachus, quantum par erat, accuratâ in castris disciplinâ, omissis omnibus, tota animi contentione statuit, quæ nullo vel auctore vel conscio proposuerat, efficere. Diu erat, cum eum in noctes agitabant per somnum species, dormienti excitatas genitoris desiderio. Imago illius ferè redibat sub extremam vigiliam, cum nondum stellarum errores cælo, nec circumvectum nocturnis imaginibus soporem orbe initia auroræ extruderent. Videbatur nunc ipsi Ulysses, depositis exuviis, in prato fortunatæ insulæ, quâ rivulum transmittit, versari, utrique ripæ affusis Nymphis, & offerentibus vestes, quæ beatos manes decent; nunc cum voluptate & admiratione audiri in palatio, ex auro eboræque nitorem accersente, à turba floribus coronatorum hominum; nunc celebrare epulas, insigni inter lautitiam gaudio, humanaque voce & lyra faciente concentum, cuius suavitatem Apollo cum Musis suis frustra æmuletur.

Somniis adèò iucundis plerumque tristitia successit experrecti Telemachi. Quàm me, dilecte genitor, exclamrat, præ his delectent amplius immanissimæ per quietem imagines! Hæc simulacra fortunatæ fortis quid mihi loquuntur, nisi tuum ad fortunatas illas mentes transitum, quarum virtus æterno circumfluit orio? Elysiæ sedes intueor. Quid ambigo? privari futurorum spe tota quàm miserum! ergone ultimùm te vidi genitor? numquam ego Ulyssen his brachiis, Ulyssen adèò amantem mei, exquisitum mille itineribus? Æternùm tacere mihi os tantæ sapientiæ? numquam osculari tam dilectas, tam victrices, & (quod sperabam)

rabam) Penelopen ulturas manus? Ergone perpetuabitur Ithacæ illata vastitas?

Vos, infensa genitori meo Numina! vos tam implacida imagine noctes meas confunditis, ne lux ulla mihi quid ferat spei. Sic autem occiditis Telemachum. Iugulant me incertæ spes. Incertæ autem? Imò Ulysses vixit. Certius hoc, quam vivere miserrimum filium. Ibo, requiram manes eius ab Inferis. Audeo, quod inferorum Numinum contemptor Theseus. At me ad Inferos in genitorem ducet pietas. Audeo, quod & Hercules. Quo esto plurimùm sim levior; cum laude sequar tamen, quam ille trivit, viam. Movit inexorabile Stygis Numen audita Orphei calamitas; remissa ad vivos Eurydice. Quis calamitosior Telemacho? Quæ præter meam iactura acerbior, nisi formosarum non primam summo totius Græciæ Ulyssi comparaverim? Age! moriamur, si ita. Quid enim ad miseram vitam terroris mors habet? Experiar, & quamprimùm, tuumne sit seu Pluto seu Proserpina implacabile (ut criminantur) Numen. Post terra marique inutiles errores, in quos reperiundi spes tui me dedit, genitor, te superest umbras inter ut exquiram. Videndum nescio an non patria umbrarum dabit, per Superos quem in his terris negat Solis lumen.

Rigabant inter hos gemitus lectum profluentes lacrymæ. Subitòque se proripiens cubitu, quærebat usu orituræ lucis nocturnum dolorem abstergere. Verùm erat is lethalis arundo, quem inhaerentem pectori moliri non valebat. Victus ergo tantis malis, constituit ad Inferos descendere. Celebris locus erat haud procul à castris. Acherontiam  
appel-

appellabant, horribili specu ad ipsas ripas Acherontis (fluvius est apud Inferos nec à Diis, cum iurant, nominandus) permittente descensum. Urbs perinde atque arboreo cacumini nidus, summæ petrae infidebat; ad cuius pedem horrendum dehiscens tellus aditum aperiebat ad manes, adhuc eximium ab humano vestigio, quoniam mortali-um neminem eò admittebat metus. Neque alia maior erat pastorum cura, quam inde arcendi pecus. Vapores sulphurei è Stygia palude per os antri pestem continenter afflabant aëri. Circùm nec flores nec gramina gignebantur. Favonii, Ver, Autumnus peregrina hinc loci nomina. Nudi frutices & cypressi tegebant emorientem terram. Longè latèque frugibus ineptum solum. Vites, quasi pœniteret edidisse, nondum adultos racemos extinguebant subtractô succô. Rivi nunquam perennes, nunquam ad potum. Nec aves, quæ delectarent cantu, alebat regio; quippe & spinis impedita, nec ad eas oculendas fruticata humus. Unde præteribant hunc locum, amores suos melioribus terris impertituræ cantu. Hinc verò præter corvorum inconditas voces & noctuarum lugubres planctus nihil erat audire. Iphis adèò graminibus dulci adversus sapor erat; neque greges, qui iis vescebantur, tentabat, qua alias ad iucundos saltus incitantur, lascivia. Palabantur mutuo inter se fastidio; reconditâque tibia aptis ad cientes sonos utribus incubabat afflictus pastor.

Ex hac specu per intervalla evolutus fumus densam nocturnâque non levio-rem caliginem ingerebat luci. Tum verò hostiæ ingeminabantur à vicinis populis, cumulatæque victimæ ad placandos

dos

dos Inferorum præfides; tametsi plerumque iuventutis florem inferias dabit infelix lues, & oblectationem sævientibus è specu Diis.

Hæc igitur ad Plutonis regiam penetrare iuvenis decrevit. Minerva, diligentissima custos salutis eius & maximum obiecta semper Ægide sua præsidium, illi gratiam inferni Numinis præparaverat. Ad hæc imperatum à Iove Plutoni, in regnum suum admitteret Ulyssis filium, perferente id mandati Mercurio, qui diebus singulis certum animarum numerum traducit ad Stygem.

Clam ergo ex castris digreditur Telemachus noctis auxilio. Sublustris hæc erat à luna, cuius ille sibi propitiabat numen; quod cœlis fulgens fidus, in terris Diana, in Inferis Hecate est. Facile preces ipsius admiffæ à Dea: quippe & nævo carebat infons animus, & ducem pietatem, quam parentibus filii debent, sequebatur.

Venerat ad antri ingressum; cùm mugitus & fremitus subterranei regni cœpit exaudire. Tentabat euntis vestigia concussa tremore tellus: fulgura coruscabant cœlo ignesque, minitantes in terram lapsum. Quatiebatur horrore Telemachus: gelidus sudor totum corpus offuderat. Constat tamen virtus sibi. Oculis manibusque elatis sursum: Accepto, Dii, inquit, hæc signa, atque fastum ex iis omen præcipio. Eia! quæ cœpistis, perficite. Inter hæc verba festinato gradu ante fauces tenebrofi specoris intrepidus substitit.

Protinus diffissa caligo est, quæ aliàs eò appropinquans pecus perimit. Permittebat ad tempus liberum spiritum pestilens fœtor. Intrat Telemachus nullo comite. Et verò eadem mortalium quis ausit?

ausit? Duobus Cretensibus aperuerat, quæ constituit animo; hi autem ad certum duntaxat intervallum à specu euntem profecuti, in templo quodam substitere, trepidi atque exanimes & nuncupantes vota etsi sine spe reverfuri Telemachi.

At ille horrorem tenebrarum ingressus interea strinxerat gladium. Tenuissima lux liquidiori nocti ferè similis leniter circumvolantes umbras ostendit, quas ille amovebat ferro. Tum lugubres paludis veriùs, quàm fluminis ripas aspexit. Torpebant putres aquæ; cænoque impediende cursum, non fluebant labentes, sed volutabantur versantes se se. Occupabat crepidinem defunctorum innumerabilis multitudo, qui nondum affecti sepulturâ Charontis cymbæ frustra obversabantur. Minis quippe abacti reiectique à tam semper difficili & moroso, quàm vegeto Sene. Contra in navem receptus juvenis. Vixque ingressi aures lamenta obruerunt desperantis animæ.

Sciscitabatur ab illa causam tantorum luctuum, & quæ ei inter vivos fuisset conditio? Nabuchodonosor eram, illa inquit, rex magnæ Babylonis. Concutiebat Orientem vel solum, quod gerebam, nomen. Ex marmore surgebat ædes, in qua & adorabar à Babylone, & imagini meæ litabat, assiduè incensa, odorum ferax Æthiopia. Obloquendi mihi nemini data facultas, nemini concessa impunitas. Obtulere dies singuli novos voluptatum architectos atque artifices. Flos ætatis & vigor iuventutis meæ quot annorum suffecturus erat coronatæ felicitati, nisi uxor docuisset, se nupsisse homini; quippe amantem redamare non modo recusavit, sed & veneno sustulit. Fui. Auream in  
urnam

urnam lux hesternæ cineres meos congeffit cum pompa. Fusæ lacrymæ: vellicati crines: univ-  
 sum Imperium videbatur cum rege periturum  
 eodem rogo. Quin adhuc aspirantur luctus ad  
 calcem illustris monumenti, cui regii cadaveris  
 traditæ reliquiæ. At desiderio mei affligitur nemo;  
 nemo putat sibi aliquid obitu meo, etsi regis, deces-  
 sisse. Quin abominatur ibi memoriam meam etiam  
 regalis domus; hæc verò miserrimis iam pœnis  
 inerior.

Tactus hoc spectaculo iuvenis, rogat: Verène  
 beatus vixisset in imperio? Illine adfuisset iucun-  
 da tranquillitas & dulcis quies, qua sine vel inter  
 delicias malè est animo? Negabat Babylonius nosse,  
 quid vellet hoc verbi, quod diceret iuvenis. Et  
 sapientibus quidem, inquit, summum bonum in  
 tranquillitate reponitur. Ego vero illam nec sensi  
 unquam. Impellebat ambiguum alia ex alia cupi-  
 ditas, metus, fiducia. Affectionum ambitioso ob-  
 sequiò obrundebam rationem, perstudiosè adni-  
 xus, ne unquam repararet se sibi. Sani consilii nec  
 umbram tuli. Hæc illa quies, hæc mea tranquilli-  
 tas. Aliâ frui non nisi neminem puto. Hæc insu-  
 per illa fuere bona, quorum iactura hos mihi nunc  
 gemitus.

Obruebatur os ita loquentis fletu, qualem effæ-  
 minati fundunt muliebritérque timidi, qui ex for-  
 tis indulgentia ad adversa imparem animum affe-  
 runt. Circa regem erant mancipia, regiis manibus  
 inferiæ data. Ea Mercurius simul cum rege Cha-  
 ronti tradiderat, facta potestate in illum, cui ser-  
 viêrant. Itaque illa iam non metuere, non adorare;  
 sed illigatum vinculis afficere ludibriis, quæ nec  
 tole-

tolerarent vilissimi. Oggerere quidam: Præ ipsiſne fuiſſet homo? Divinos honores quàm is affectaſſet ſtolido conſilio, cui fuerit recordandum, & ſe humano duntaxat profeminatum ab genere. Sapienter tu quidem (inſultabat alius) te mortalium excerpebas numero. Monſtrum ſcilicet eras, non homo. Alius haud paulò amarior. Age! aurium tuarum mancipia oſtende: aſſentatorum manipulos exhibe. Scilicet miſer non habes, in hos quod diſpergas in poſterum. Hui tanti Regis potentiam, quæ ſuis iam famulatur mancipiis! En! ùt lento gradu ad vindictam ſui Deorum procedit indignatio, & procedit tamen.

Hæc tota ſtomachi contentione debacchantibûs ſerviſ, rex pronus corruere in terram, furere, deſperare, ambabus manibus crinem inceſſere. At Charon increpabat mancipia: Quin vinculiſ tractum, & renitentem humo ſuſtollite. Indignus eſt, cui ſuum faſ ſit recondere dedecus. Quotquot in Inferiſ manes, id videant, ne vapulet Deorum patientia, huic impietati in terris permittentium regalem potentiam. Quid palpitas, miſer, ad hæc dolorum tuorum præludia? Actutum fulminabit te rigidi Minois numquam mutanda ſententia.

Nondum Charon finierat terribiles voces, cùm Plutonii regni crepidines navicula tetigit. Concuſſabant manes, avidi vivum hominem cognoſcendi, quem inter deſunctos advenas conſpiciebantur. At ſimul Telemachus è cymba egreſſus, ſimul illi, velut ad tenuiſſimum lucis initium nocturnæ umbræ, dilapſi ſunt. Tum Charon paullùm liquidiori fronte, oculiſque revocatiſ à moroſo,

Z

quod

quod amant, fastidio: Per Superos, quibus es curæ, licet, mortalis, tibi subire viventibus interdium noctis Imperium. Quò igitur te fata trahunt, propera. Per hæc opaca ad Plutonem est iter. Conspicies sublimem throno. Pandet ille locos tibi, quorum arcana fas non est hoc ex ore cognoscere.

Magnis ergo passibus se agere iuvenis. Ogge- rebatur conspectui eius par maritimis arenis multitudine undequaque & sublime meantium animarum, quibûs præter ordinem agitatûs & confundentibûs semet incerto motu, divinum se intrare horrorem sensit, adiutum utique altô tam vastis in locis silentiô. Cùm verò iam proximus esset diverforio inclementis Dei, furrigebantur capilli: vacillabat incertum genu: luctabatur intercepta vox, in hæc tantùm verba nec sine conatu sufficiens: En! terribile Numen, infausti Ulyssis filium. Adest quæsitum abs te, tuóne in Imperio, an adhuc inter vivos sit genitor?

Erat ex ebena solium, in quo Pluto confidebat. Os pallidum & ex severitate acerbum. Imminebat scintillantibus oculis frons multa & contracta in minas. Aspectum morituri primùm hominis haud abhorrebat leviùs, quàm lucem, de die latebris assueta, animalia. Proserpina tegebat alterum eius latus. Hanc ille unam intuebatur; visûsque est inde non nihil asperitatis dimittere animo. Et in ipsa quidem Diva perseverabat perpetim resuscitentis formæ prodigium. Quamquam difficile & immane quid divinis moribus ex mariti societate videbatur accessisse.

Recli.

Reclinabat ad infima throni mors, pallore terribilis, falcemque exacuens in futuras strages. Ponè grassabantur lucis expertes Curæ, immania sibi fingens Suspicio; cruore satiata obsitâque vulneribus ulciscendi Cupiditas; æquo alienum Odium, sui que carnifex opum Esuries, membris suis infesta Desperatio; malè sana honorum turbulentiâque Sitis; cruoris avida, neque ex malo, quod machinata est, felicior Proditio; circumfluens pestilenti veneno & ob ineptas ad nocendum vires infaniens Invidia; spe consumpta præceps in abyssum, quam ipsam fodit sibi, Impietas; nefandæ Intemperiæ, spectra terrendis viventibus, nocturni Horrores, funestæ illisque haud paulò mitiores Vigiliæ: quæ omnia circum Plutonem implebant triste palatium. Ceterùm is voce incondita & à qua Erebi abyssus cœpit inhorrescere, respondens Telemacho:

Fatorum, inquit, permissu mortali vestigiò profanas hæc sacra defunctorum perfugia. I, & quæ favens tuæ gloriæ Dyphtera præscribit, sequere. Genitorem petis? Id verò non cognosces ex me. Quærendi illius (quod satis est) copiam habe. Rex fuit: opus duntaxat, hinc, quæ malos reges plectit Tartarus, inde, quæ bonis mercedem Elysi dependunt agri, percurrere. At nisi per Tartarum non datur ad istos aditus. Illuc te actutum, dehinc meis de regnis aufer.

Nec mora: volatu magis quam cursu se agit per immensa locorum spacia Telemachus, incitante industria simul experiundi, sitne visurus genitorem; simul liberandi se iniucundâ illius Numinis præsentia, cuius metus vivis mortuisque perpetuò incumbit.

Nec multò post videt se proximè Tartarum esse. Fumus erat densa caligine, quem evolvebat infelix locus, fœtore lethalis, si inferretur in vivos. Obversabatur igneo torrenti, & quibusdam procellis flammarum, edentibus mugientem fremitum strepitùque mixtum, quocum ex summis præruptisque montibus rapidissimi torrentium præcipitant. Unde hïc loci nihil sincerè ad aures allabitur.

Firmabat Telemachum à Minerva occultus vigor, -ut sine formidine se in horribiles Tartari fauces immitteret. Venère illico in conspectum eius homines magno numero, ultimâque ex plebe quondam, sed nunc exsolventes supplicium, quòd per fraudes & proditiones sævitiâque ab inopia ad divitias contenderunt. Hypocritarum quoque multitudinem aspexit, qui impia simulatione religionem ambitioni suæ prætexentes, humanæ credulitati imposuerunt. Hi verò homines propter abusum rei, qua nec Superi quid maius habent, nempe virtutis, pœnas tolerabant summæ inter omnes malitiæ. Quippe nec liberi, qui auctores vitæ suæ dederunt neci, nec coniuges, quæ viro- rum cædibus inquinârunt torum, nec, qui obli- iuratae fidei patriam tradiderunt hosti, gravibus torquebantur; ita fancientibus iudicibus, qui ius à corpore abstractis animabus dicunt; quoniam hypocritæ præter aliorum, qui scelera sectantur, morem, non contenti, se malos esse, pietatis in- super affectant opinionem; qua re demum sinceræ etiam virtuti fides detrahitur. Ac propterea Diis, quos despiciatui habuerunt ipsi; aliis exposuerunt, oblectamento est, posse sacrilegum contemptum sui ulcisci.

Erant

Erant præter eos, quos à suppliciis, certè gravioribus, iudicium vulgi absolvit, Rhamnusia verò implacabilis hìc premit. Sùntque ingrati, mendaces, adulatores, à quibus laus attributa flagitio; vituperatores maligni invidique, qui vel integerrimæ virtuti maculam non nullo impegerunt opere; ac illi denique, qui temerè pronunciantes de minùs sibi cognitis, multum innoxia aliorum famæ decerpserunt.

Ceterùm ex ingratis subibant gravissimum supplicium, qui tales fuerunt in Deos. Hac super re Minos differens: Nónne monstrum, inquit, imò & portentum est, signum acceptæ gratiæ non edere parentibus amicisve, aut quoquo demum modo impendentibus auxilium? Et erit, honori qui ducat sibi, laudique, memorem animum non præstare, vitæ, & omnium, quæ vita est complexa, bonorum auctoribus Diis? Aut Diis, eredo, quàm genitoribus, homines non debent magis nascendi beneficium. Scilicet hæc universa crimina, quo plus impunitatis & patrocini consequuntur inter vivos, hoc ampliùs pertinaciùsque persequitur implacabilis apud Inferos Iustitia, à qua nulli quantumvis labeculæ, venia tribuitur.

Fortè tum homini ius dicebatur à tribus iudicibus. Itaque Telemachus ausus est damnationis eius sententiam exquirere. Continud vociferari reus: Nunquam à me quid actum mali. Benefeci, & summa voluntate quidem. Magnificè vixi; ceterà liberalis, iustus, misericors fui. Quid ergo mihi obiicitis? Hæc iactanti, Minos: Quod ad homines, inquit, nihil obiicimus tibi. At Diis nunquid debebas præ hominibus? Age! cedò

illam tuam, quam iactas iustitiam? Hominibus, qui nihil ad Deos sunt, ex asse reddebas officium. Coluisti virtutem: at quidquid in te erat eius, referebas ad te, non ad Deos, à quibus tamen fuit in te derivatum virtutis munus. Voluisti scilicet fructum voluptatémque percipere tuæ propriæ virtutis, tibi que ipse includi. Tu idem ara tibi eras & Numen. At nequeunt, qui sunt universa operati, & operati propter se, Dii iure non uti suo. Oblitus es eorum; & ipsi obliviscentur tui. Relinquent te tibi, quoniam libebat tibi non esse ipsorum, sed tuum. Age, solatia dehinc à te ipso, si vales, pete. Distractus morte ab illis in perpetuum, quorum palpabas gratiam, iam tu tecum uno & solo versaris, quem unum adorabas & solum. Disce modò, virtutem, quæ vera sit, contemptis Diis, nullam dari. Detrahetur larva virtutis tuæ, quæ credulos mortales lusit dudum. Et hi quidem ut vitia & virtutes vel molestas vel commodas sentiunt, ita de utrisque iudicant, & tam ad malum quam in perniciem cæcutiunt. Hic verò loci cœlestis quidam radius quasquas tenebras humani iudicii dissipat, plerumque damnans, quæ ab illo ducuntur plurimi; probansque, quæ perversis arbitris viluère.

Hæc pronuntiata sententia ceu fulmine percussus Philosophus ille se deinceps ferre non potuit. Quæ alioqui miram voluptatem afferebat cogitanti, virtutum suarum, temperantiæ, fortitudinis & magnanimitatis recordatio nunc in ingens argumentum vertebatur desperationis. Pars supplicii ipsi erat contemplari aversum à Diis animum suum. Intuebatur sese, nec deflectere poterat ab

hoc

hoc intuitu. Videbat, quàm vana mortalium iudicia, à quibus actionum suarum nec unicam patiebatur abire. Per omnia, quæ erant in ipso, mutabatur omnino, & velut ex integro conversis visceribus. Sentiebat, se desisse eundem esse. Omnis vigor dilabebatur animo: Excibat in eum stimulos suos conscientia, cuius testimonio olim delectabatur tam commodè; perversamque de virtutibus suis opinionem acerbè castigabat; quippe quarum nec origo nec meta fuissent Dii. Perturbatio, stupor, ignominia, cruciatus & angor malè conscientium animum impleverant. A Furiis nihil inferebatur molestiæ. Reliquerant, tradiderantque eum ipsi sibi, reputantes satis esse, ab ultrice animo spreto Deos ex æquo vindicari. Perquirebat ultimas latebras, quibus cum à suo non posset, à reliquorum certè manium conspectu se removeret. Sectabatur tenebras, at inutili opera. Inhærebat fugienti molesta lux, cuius percussus radiò exsolvebat ubique sprete virtutis supplicium. Averfabatur, quæ amaverat antea, quippe tormentorum suorum perennem fontem & scatebram. Me insanum (ita se ipse accusabat!) nec Deos ergo, nec homines noveram; sed nec ipsum me? Ita est, quia amavi nunquam unum, nunquam verum bonum, nihil noveram. In quot passus pedem, in tot errores duxi animum. Omnis hæc sapientia stulticia, hæc virrus omnis nefasta & cæca superbia fuit; idolum ego ipse mihi.

Sunt inter reges, quos abusus potestatis reos facit Inferorum supplicii. Et hos demum Telemachus aspexit. Speculum statuebatur altera ex parte ab ultrice Furia, nihil celans turpitudinum, quæ

in criminibus eorum reperiabantur. Fuere autem, quæ in eo videbant quantumlibet nolentes, pinguis stupidâque vanitas, qua ferebantur in laudes etiam luculenter ineptas; in homines, quos felices debuerant reddere, duritas, stupor ad sensum virtutis, formido veri, studium in viles homines & fervientes auribus; sævitia, intempestiva suspicio; fastus, & ruinis populorum fulcienda luxuria; ambitio, paucillum honoris mercata cruore civium; illa denique crudelitas, quæ novas in dies illecebras in tot infelicium lacrymis & desperatione scrutabatur. Hoc igitur in speculum defixo aspectu videbant, præ ipsis minus monstrum & portentum esse vel Chymæram, quam Bellerophon cecidit, vel ab Hercule iugulatam Hydram; vel ipsum adeo Cerberum, tametsi atram saniem, & malè afficiendo universo hominum generi idoneum cruorem liberrimis faucibus evomentem.

Simul autem è diversa parte Furia alia ab absentatoribus tributas ipsis adhuc vivis laudes insultantis voce, habitûque repetens, & ipsa speculum exhibuit, quod reges ea reddebat specie, qua olim repræsentabantur adulationis ingenio. Hæc comparatio duarum, adeo sibi non congruentium, imaginum erat statutum regiæ vanitati supplicium. Videre erat, iis ex regibus pessimos esse, quorum, dum vivebant, splendidissimæ laudes extiterent; quoniam mali Principes timentur præ bonis, & vilissimas adulationum quisquiliis ab eruditis temporum suorum calamis non verentur in iniquum censum exigere.

In hac ergo abyfso tenebrarum, ubi nihil præter ignominias ludibriâque, quæ admittere coguntur, sen-

fentiunt, perspicua ex gemitibus erat eorum calamitas. Ab omnibus, qui stipant, repelluntur, contraveniuntur, illuduntur. Pro eo, quòd in terris cum vita lusitabant mortalium, crediderantque omnia ipforum obsequio nasci; in Tartaro voluntati traduntur quorundam mancipiorum, à quibus crudeles servitutis ærumnas ordine persentiscunt. His cum dolore serviunt nulla spe mitigandæ captivitatis, nec liberiores à tyrannorum suorum flagellis & scuticis, quàm ad Æthnæ furnos præfente Vulcano incus à Cycloperum malleis.

Occurrerunt præterea intuenti vultus pallidi, horribiles, plenique mæroris & luctus. Roduntur hi facinorosi atroci dolore. Ipsi sibi horrore sunt, quo minùs, quàm naturâ suâ, carere permittuntur. Alio supplicio peccatorum præter ipsa peccata iisdem necesse haud est. Quippe obversatur continuo, quanta quanta in sceleribus hæret, immanitas; & peccata ipsa insistant terribili spectrorum aspectu, à quibus ut liberent se, inquirunt mortem primâ validiorem, qua exempti fuerunt corporibus. Mortem scilicet amentes desperatione implorant, quæ omnem sensum, omnemque cogitationem rerum valeat extinguere. Abyssos invocant, quibus dehiscens absorbentur comites suos possint effugere, veritatis ultrices radios. At superstites iubentur esse vindictæ, cuius iræ ita sensim in eos sæviunt, ut numquam desæviant. Veritas, olim cognoscentibus metus, iam pœna & tormentum est. Vident illam, quippe propterea per mortem non privati videndi copia, ut eandem insultantem aspiciant. Hic porro aspectus veritatis miseros percutit, vellicat, eripitque ipsos sibi. Fulgur quod-

dam est, intima viscera, exterioribus intactis, penetrans atque perstringens. Vindex flamma est, quæ metalli instar in ardentem immissi furnum liquat animam; quam etsi nulla parte depascitur, vi tamen naturæque sua exspoliat. Resolvit quippe grassaturque ad usque primæ vitæ principia, quin vincula, quibus facultas continetur vivendi, relaxet. Atque in hoc statu homo à se ipse abstractus est: auxilium nullum, nulla vel ad momentum requies: alimentum vitæ unicum rabies, qua in se reus ipse invehitur, & ex perditis rebus existens infania.

Inter ea, quæ cum ingenti horrore intuebatur Telemachus, fuere complures ex antiquis regibus Lydiæ; dantes pœnas, quoniam mollem vitam prætulerunt industriæ, quam ad relevandos populos necesse est semper regiæ dignitati esse annexam.

Mutua exprobratione cæcitatibus debacchabantur in se se. Erant inter eos duo, quorum alter alterum, quem idem genuerat, increpans: Ego quoties monui te, inquit, & cum adhuc degerem annos deteriores ætatis meæ, & ante mortem: ut mala damnæque resarcires negligentia meæ? Tu verò, regerebat filius, tu solus infelix auctor eras & vitæ & ruinæ meæ. Fastum, arrogantiam, sensum in illecebras pronum, in homines inhumanum, transfudit hanc in mentem exemplum tuum. Videns te circumfluentem luxu facibusque vulgi, assentatoribus, versari in imperio, adulatorum obsequiis assuevi & illecebris voluptatum delectari. Ceteram multitudinem hominum nihil ad reges amplius putabam esse, quàm equos iumentaque alia ad homi-

homines, quæ curantur duntaxat, quantum nobis aut serviunt aut commodant. Hoc putabam scilicet; at tu causa eras, ut putarem. Imitabar te, inde autem vah! mihi quæ supplicia. His ultro citroque probris iactatis adiciebant atrocissima maledicta; visique sunt ad mutuò discerpendum furore incitari.

Circùm hos item reges agebantur ambiguo noctuarum per tenebras volatu crudelissima genera suspicionum, metus inanes, mala fiducia, populorum ob regum inhumanitatem flagella; æterna divitiarum esuries, gloriæ tam sæva quàm futilis opinio; ignava mollities, quæ ut mala ærumnæque subditorum multiplicat, ita nec verè, nec constanter unquam oblectat.

Satis multi inter hos reges visi, qui non mala commissa, sed bona à se prætermissa graviter luebant. Quæ ex neglectis legibus nascuntur populorum scelera, regibus adscribebantur; quippe constitutis, ut eorum auctoritate dominantur nixæ leges. Rei quoque agebantur omnium perversitatum, quas fastus, luxuria, & quæcunque demum intemperantia generat, unde subditi in conditionem, quam nolunt, devoluti, ad spernendas leges invitantur cupiditate fortunarum. Ante alias autem acerrimæ pœnæ fuere regum eorum, qui cùm pastores se debuissent præstare populis, degenerantes in lupos, gregibus suis tota cogitatione machinabantur ruinam.

Ceterùm increbuit metus Telémachi, cùm in hac miserrima abyssu tenebrarum intueretur frequentes, qui erant inter mortales cum fama eximiæ probitatis versati, detrusisque ad

Tar-

Tartarum, quòd se improbis & simulationis artificium probè edoctis hominibus permiserunt. Torquebantur propter ea flagitia, quibus patrocinati fuerant perverso potestatis & dignitatis suæ usu. Quid? quòd plerique istorum regum nec boni nec mali fuère; tanta erat illorum fragilitas. Quam quidem cognoverunt numquam; sed neque, ut cognoscerent, curabant. Expertes suavitatum, quarum mater virtus est, noluerunt voluptatem suam in exercitatione usúque probitatis collocare.

## TELEMACHUS.

### LIBER XIX.

**S**ub ipsum ex his locis digressum iuvenis cum liberiore spiritum velut amota ingenti mole reciperet, intellexit, quanta esset in his carceribus detentorum spe nulla inde exeundi infelicitas; reputansque cum horrore, quòd vidisset regum quàm cæterorum hominum delicta gravius plecti: Regum ergo, inquit, tot sunt officia, pericula, insidiæ, & labor penè infinitus rectè cognoscendi, quòd se se ab aliis & à se ipsis defendant? Has demum tamque crudeles pœnas tolerant in Inferis post spatia vitæ tam brevis, tam molestæ, ærumnosæ? Ut infaniunt, qui imperio dedunt cupiditatem; sapiunt autem, qui extra magistratus sibi putant acquiescendum in vitæ tranquillæ curriculo, ubi liberior cursus virtuti permittitur.

Cœperat animus talia meditantis commoveri: trepidabat: magnòque subeunte horrore sensit desperationem menti insinuari haud valde absimilem eorum, quos modò in tormentis conspexerat.

Ce-